

rios scribere, duas licentias excogitabant Iambographi; priorem scilicet, ut spondeum in imparibus locis admitterent, alteram, ut pro iambo tribrachyn, utpote temporibus æqualem, substituerent: sed has licentias veteres isti Iamborum scriptores, Archilochum dico, Solonem et Simonidem, ^{parcus} sibi indulgebant; multo frequentius Tragici; Comici denique, quibus propositum erat, non solum familiarem, sed etiam familiarissimum sermonem imitari, laxissimos aliquando numeros admittebant.

Tragici igitur, præter iambum et tribrachyn, quos cum paribus locis communem habebant, spondeum etiam in primo, tertio et quinto usurpabant. Postea hunc spondeum in primo loco, prout res ferebat, vel in dactylum vel in anapæstum dissecabant, in tertio loco tantum in dactylum, in quinto neque in anapæstum neque in dactylum. Ac de dactylo quidem res adeo expedita et facilis est, ut vix tria exempla reperiantur, quæ huic regulæ obstare vel videantur. Euripidi quidem tribuunt Viri docti Hippolyti verba, a Zenobio, Diogeniano, Suida et Apostolio in proverbiorum numerum relata, sed nusquam pro Euripideis citata, *"Ακαίρος εὔνοιος οὐδὲν ἔχθρας διαφέρει.* Et poterant esse verba Phædræ ad nutricem; Scholiastes enim ad Hippolytum ait; *καὶ ἔστιν ὅμοία τῇ παροιμίᾳ, Εὔνοιος ἀκαίρος οὐδὲν διαλλάσσει ἔχθρας.* Sed cujuscunque est, certe neque Euripidis est, neque Tragici cujusquam. Alter locus Euripidis inter fragmenta a Barnesio et Musgravio collocatus, exstat apud Stobæum CXVI. p. 477. *Τηρεῖν μὲν ἐτέργευσοι γέροντες δυνάμεθα, Ήμεῖς δ' ἀπολαύειν ὥν ἔχουσιν, οἱ νέοι.*

C